

post eosdem nuncios¹ cum litteris apostolicis et quadam membrana vacua predicti electi sigillo munita, ut² optenta premissa ecclesia de renunciacione redditus prelibata littera vel instrumentum fieret, ad abbatem memoratum accessit. Quem in abathie mensa sedentem — procurante abbate predicto ipso, ut dicitur — protinus . . milites tanquam malefactorem et proditorem inperii, asserentes, quod ad principes Alemannie tam contra carissimum in Christo filium nostrum [Fridericum]³, quam contra suum filium quasdam litteras detulisset, iniectis in eum manibus violentis ausu temerario ceperunt et tractum in pluribus inhoneste filii eiusdem inperatoris conspectui presentarunt⁴. Denique coram eo et nonnullis aliis principibus constitutus et spoliatus primo rebus omnibus, ligatis manibus et pedibus sub vilissimo equo constrictis⁵, per civitates, vicos et plateas ipsis presentibus et sequentibus per duos menses in contumeliam creatoris et ignominiam clericalis ordinis⁶ est deductus ac fere per annum ferreis constrictus conpedibus, non absque multis⁷ circumdantibus eum⁸ tormentis, que non solum longum, sed eciam flebile per singula reserare, carcerali fuit custodie mancipatus.

Sed eo misericorditer faciente, qui salvat sperantes in se, post multa ludibria, post cruciatus horribiles, post tormenta crudelia, eius tandem conperta innocencia, inperiali fuit gracia restitutus. Sed quamquam universalis ecclesiarum prelatus apud iamdictum inperatorem pro ipso institerit, nulla tamen facta est restitucio de ablatis.

Cum autem prefati executores supradictum [Hermannum] excessus tam detestabilis⁹ perpenderent non immunem¹⁰, cuius manus in premissis omnibus fuisse publice fatebatur, presertim cum potuerit et noluerit tanto facinori obviare, ipsum ad suam presenciam citaverunt. Sed ipse ad iniquitatis sue presidium se convertens¹¹ et contempnens adire presenciam eorundem¹², directis ad eos quibusdam Sathane filiis, per ipsos¹³ frustratorie ad nos vocem appellacionis emisit. Quam executores predicti de prudencium virorum consilio frivolum reputantes, sepredictum [Hermannum] abbatem in C marcis argenti pro dampnis, que occasione ipsius subierat idem canonicus¹⁴, condempnarunt, in ipsum,

1) Nämlich die Executoren. 2) Corr. aus 'et' Hs. 3) Die Hs. hat '. . nostrum'. 4) 'presentarent' Hs. 5) Corr. aus 'constructis' Hs. 6) Am Rande von ders. Hand ergänzt. 7) 'multum' Hs. 8) Corr. aus 'est' Hs. 9) 'detestabiles' Hs. 10) 'innie' Hs. 11) 'corruentens' corr. in 'converentens' Hs. 12) 'eorundem' Hs. 13) So wohl statt 'quos' zu lesen, da der Satz sonst Anakoluth wäre. 14) 'eidem canonico' Hs.